

mus. Atque, ut ad regimen Ecclesiasticum transeamus, num id unquam præ se tulit Petrus, quod totius Ecclesiæ sit caput, aut Christi constitutus vicarius in terris? Columnen illum Ecclesiæ judicatum fuisse, legimus *Gal. I, 9.* sed nec solum, nec ob peculiare aliquod privilegium, sed una cum *Joanne* atque *Jacobo*, & ob dotium, divinitus acceptarum excellentiam, non vero ob quandam ab ipso Servatore, per modum privilegii, collatam potestatem ac eminentiam. Ipse Petrus ea fuit modestia, ut se *συμπροσβύτερον* appellaret *1. Ep. V, 2.* nec meliore loco, quam reliqui vel Apostoli, vel ab Apostolis constituti Antistites, & Presbyteri, haberi vellet. Norat nimirum, hunc titulum, atque hanc dignitatem Domino, non servo, Magistro, non discipulo, Deo ipsi, non homini deberi, quod sit caput Ecclesiæ, ac Princeps. Principis enim est potentissime moderari rem publicam, & dirigere: Capitis est influere in membra corporis, totumque corpus spiritibus a se diffusis adimplere, quasque animare. Nullius autem hominis, & ne Apostoli quidem, ac sigillatim Petri, ea potentia & vis est, ut possit gubernare totam Ecclesiam, nec Spiritus, a quo ducendus est sanctus Dei cœtus in veritatem, ab hominibus, sed Christo, & petendus est, & expectandus. Hic per emissum a se Spiritum & Doctores constituit, & sanctos præparat, & verbum efficacia armat, denique membra omnia vera in se fide conjungit secum, & animat. Hic ipse *αυτοπροσώπως* nobiscum est, omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Uti vero Princeps, quoad ipse adest in regno, non temere sibi legatum quendam, aut vicarium constituit; ita nec Christo opus est quodam in terris vicario, ac legato, ad gubernandam Ecclesiam, cum ipse super omnes cœlos evehctus, sedeat ad dextram gloriæ Patris sui, impleatque omnia,

& po-